ad laetam

Et ad domum dei ascendere ac dicere cum pro-
pheta; Domine dilexi decorem domus tuae
et locum habitationis gloriae tuae; et illud Unam petii
a domino hanc requiram ut habitem in domo domini
omnibus diebus vitae meae; Felix illa consci-
entia et beata virginitas in cuius corde praeter
amorem Christi qui est sapientia castitas pa-
tientia atque iustitia ceteraeque virtutes nul-
lus alius versatur amor. Nec ad recorda-
tionem hominis aliquando suspirat. Nec eum de-
desi derat quem cum viderit nolit dimittere;
Sermo virginum propositum. et caelestis angelorum
que familiae gloriam quarundam non bene
agentium nomen infamat; Quibus aperte dicen-
dum est. Ut aut nubant si se non possunt con-
tinere. aut contineant si nolunt nubere;
Digna res risu immo planctu; Incedentibus
dominis ancilla virgo procedit ornatior.
Ut prima consuetudine quam incomposita videtur
dominam suspiceris; Nonnullae separa-
ta et labrisque arbitris quaerunt hospitia ut
vivant licentius. utantur balneis faciant
que quod volunt et devitent conscientias plu-
rimorum. Haec videmus et patimur. et si
aureus nummus adfulserit inter bona
opera [re]putamur. Finem iungo principio.
nec semel monuisse contentus sum,
Ama scripturas sanctas et amabit te sapientia;
Diligeam et servabit te. Honora
illam et amplexabitur te. Haec monilia
in pectore et in auribus tuis hereant.
Nihil aliud noverit lingua. nisi Christum;
Nihil possit sonare nisi quod sanctum est;
Aviae [illegible] tibi semper [ac] matris in ore dulce-
do versetur quarum imitatio forma vir-
tutis est. Explicit ad Demetriadem

ITEM SANCTI HIERONIMI PRESBITERI
AD LAETAM de institutione filiae [qui] puelle

Beatus apostolus paulus scribens
ad corinthios et rudem Christi ec-
clesiam sacris instituens disci-
plinis. Inter cetera mandata hoc
quoque posuit dicens; Si qua mulier ha-
bet virum infidelem et hic consentit habi-
tare cum ea. non dimittat virum.
Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore fideli.
et sanctificata est mulier infidelis [per virum fidelem];
Alioquin filii vestri inmundi essent nunc
autem mundi sunt; Si cui forte actenus vide-
bantur nimium disciplinae vincla laxata
et praeceptis indulgentia praeceptoris consi-
deret domum patris tui. clarissimi quidem
et eruditissimi viri. sed adhuc ambulan-
tis in tenebris. et intellegit consilium
apostoli. illuc profecisse ut radicis amari-
tudinem dulcedo fructuum compensaret.
Et viles virgulae balsama pretiosa sudarent;
Tu es nata de inpari matrimonio. de te
et toxotio meo paula generata est;
Quis hoc crederet ut albini pontificis nepo-
tis de repromissione martyris nasceretur.
Ut praesente et gaudente avo parvulae ad-
huc lingua balbutiens alleluia reso-
naret. et virginem Christi in suo gremio nutri-
ret senex; Bene et feliciter expectavimus.
Sancta et fidelis domus unum sanctificat infidelem
Candidatus est fidei quem filiorum et nepotum
credens turba circumdat; Ego puto

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0076